



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

Quarta. De Reductione ostensiva Syllogismorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)

subiectum. Ultraq; hæc regula in isto continetur carmine.

Sit minor affirmans, Conclusio sit specialis.

QUÆSTIO IV.

De Reductione Ostensiva Syllogismorum.

I.
Explicatur
quid sit re-
ductio Syllo-
gismorum.

Per reductionem impræsentiarum aliud intelligo nihil, quam viam aliquam & modum quo demonstratur consequentia alicujus Syllogismi ex evidentia alterius Syllogismi, nam ex omnibus undeviginti supra recensitis modis non nisi quatuor primi sunt perfecti, reliqui omnes vocantur etiam ab Aristotele imperfecti, non quidem dicuntur ea ratione imperfecti quâ enthymema dicitur imperfectus Syllogismus, sed idè quia una re aut pluribus indigent ut eorum concludendi necessitas appareat, & tales sunt posteriores quindecim modi, qui non ita concludunt ut eorum evidentia statim appareat, esto directè concludant, sed unusquisq; aut eget una, vel pluribus conversionibus, vel de ductione ad id quod fieri nequit, aut expositione quibus consequentiæ necessitas demonstratur: Perfecti è contra Syllogismi sunt, qui nulla re indigent ut eorum vis & concludendi necessitas appareat, adeoq; nulla arte indigent ad ostendendam consequentiæ evidentiam, & tales sunt priores quatuor modi primæ Figuræ, ad hos proinde quatuor modos omnes reliqui reduci debent, quod potest fieri duplici modo scilicet per ostensionem, de qua in hac quæstione, & per impossibile, de qua in sequenti sermone erit. Ostensio itaque, seu ductio ostensiva, est via & modus quo ostendimus & quasi digito demonstramus aliquem Syllogismum per dici de omni, & dici de nullo regulari, sitq; vel per conversionem propositionum, vel per transpositionem, vel utroq; modo, quia ostensio eo collimat ut demonstret præmissas clariori disponi posse modo, Tota autem vis hujus reductionis ostensivæ innititur huic principio & generali Regulæ, quidquid sequitur ex consequente, sequitur ex antecedente, quia ergò bona est consequentia à conversa ad convertentem quidquid sequitur ex convertente, sequitur ex conversa, sed talis evidens conclusio sequitur ex convertente ut patet ex Syllogismo perfecto, ergò eadem conclusio sequitur ex conversa, quæ facta fuerat in Syllogismo imperfecto.

Quid sit
Ostensio.

II.
Omnia vocabula
habent
particulares
litteras.

Ut autem artificium hujus Reductionis detegatur, Notandum omnia vocabula modorum imperfectorum ita esse artificiosè composita, ut ingeniosè demonstrent quomodo quilibet sit reducendus, nam imprimis omnes modi imperfecti incipiunt ab his litteris B. C. D. E. à quibus etiam perfecti quatuor incipiunt, per quod denotatur quòd quilibet modus imperfectus reduci debeat ad eum modum perfectum qui à simili littera sicuti ipse incipit, unde quia Baraliptron incipit à B. ad Barbara reduci debet, & sic de cæteris, omnes qui incipiunt à C. reducuntur ad Celarent, qui incipiunt à D. ad Darii, qui deniq; à E. incipiunt ad Ferio reduci debent, ab hac tamen Regula excipiuntur Baroco & Bocardo, qui per ostensionem reduci nequeunt, quia constant duabus particularibus negativis qui nulla conversione fieri possunt universales

affirmativæ, quibus necessariò constare debet Syllogismus factus in Barbara ad quem reducendi essent, hi ergò duo modi reducuntur per impossibile.

Notandum 2. In omnibus dictionibus Syllogismorum imperfectorum reperiri saltem aliquam, ex litteris sequentibus S. P. M. C. quarum significatio hæc est S. significat propositionem significatam per litteram antecedentem convertendam esse simpliciter, littera P. significat convertendam esse per accidens, littera M. denotat præmissas commutandas esse, ita ut ex minori verbi gratiâ fiat major, & è contra ex majori minor. Littera vero C. in Boardo & Baroco reperta tantum, insinuat illos duos modos non posse converti simpliciter & reduci per viam ostensivam, sed debere reduci per impossibile, Tota hæc explicatio comprehenditur per subsequens carmen:

*S. vult simpliciter verti; P. vero per acci;
M. vult transponi, C. per impossibile acci.*

Hinc est quòd quamvis superius docuerim propositiones denotatas per litteram I. convertendas esse simpliciter juxta datam regulam Feci simpliciter, &c. Non esse tamen hic eandem rationem, nam quidem verum est particulares propositiones convertendas esse simpliciter, si secundum se præcisè considerentur, si verò considerentur in quantum subest certo modo Syllogismi, & veluti facta ex propositione universalis conversa antè in particularem per accidens, tunc iterum in eandem universalem converti poterit, quare Conclusio in Baraliptron quia nihil aliud est quam conclusio indirecta in Barbara, ut consideranti patebit, potest iterum in materiam conversam per accidens reduci, quia sic non novam rationem, sed pristinam reacquirat, Ex quo colliges facillè quomodo Baraliptron reducatur per ostensionem ad Barbara, scilicet quòd Conclusio quæ particularis est propter litteram P. subsequenter fieri debeat universalis, ut si dicas: Omne animal est substantia, Omnis homo est animal, ergò aliqua substantia est homo, qui Syllogismus prout jacet est in Baraliptron, si tamen per accidens mutes conclusionem dicendo, Ergò omnis homo est substantia, jam Syllogismus perfectus est in Barbara, simili modo sine ulla fatigatione reducuntur Celantes & Darii ad Celarent & Darii, si tantum conclusionem propter subsequentem litteram S. veritas simpliciter. In Fapesmo verò quia præter litteram F. initialem ob quam ad Ferio reduci debet reperitur P. S. M. Itaq; ob litteram M. Præmissæ debent transponi, ac major fieri minor, & è contra, ob P. verò major debet converti per accidens, minor vero ob litteram S. debet converti simpliciter, ut in hoc exemplo patere potest, ubi Syllogismus hic est in Fapesmo, Omnis equus est hinnibilis, Nullus homo est equus, ergò aliquod hinnibile non est homo qui sic reducitur ad Ferio: Nullus equus est homo, Aliquod hinnibile est equus, ergò aliquod hinnibile non est homo, similiter fit in Erisomorum, ut tibi autem tota hæc doctrina clarior resdatur subsequentem appono figuram, quam si quis paulò attentius inspexerit totius apparentis difficultatis deprehendet enodationem.

III.
Explicatur
significatio
litterarum.

VI.

QUÆ-





Omissi ex hac figura BAROCO et BOCARDO, quia supra dixi eos non reduci ostensive, sed per impossibile